

Clara licet, quæcumque oculis, utcumque remota  
 Se objiciant, eadem immenso licet augmine tendat.  
 Muneris id Phœbus tibi me deferre volentem,  
 Dumque adhibes, adstare jubet, quæque æthere in alte  
 Videris ignarus rerum, omnia pandere dictis.  
 Sic ea; nec voces ego contra effundere inanes;  
 Protinus ast avida Titania munera dextra  
 Arripio, admoveoque oculo, & Jovis intuor ot bem.  
 Proh Superi! Quis nam tantæ spectacula pompa  
 Efferat, humanoque audax cœlestia cantu  
 Æquiparet? Tu, Diva, mihi tu prolue labra  
 Ætherei laticis lympha, non flumine montis  
 Arcadici: non hic sat vivida Pegasus unda,  
 Nec res tanta petit vatum communia dona.  
 Parte globi in media, terras qua despicit imas,  
 Cernere erat vasta sinuatum mole theatrum.  
 Cœlesti immanes mille ex adamante columnæ  
 Ornabant frontem primam, & longa atria circum,  
 Ardebantque gradus gemmis stellantibus; ipsa  
 Area sidereo rutilabat fulva metallo.  
 Ad caput o quali solium sublime paratu  
 Fulgebat cinctum rutila circum undique nube!  
 Juppiter in folio non majestate severa  
 Terrificus, sed fronte hilari, vultuque sereno.  
 Ales & ipse Dei pura volitabat in æthra  
 Fulmine seposito, ac pennis plaudebat apertis.  
 Hinc, atque hinc positæ Divum longo ordine sedes,  
 Dique, Deæque aderant, quotquot stellantis olympi  
 Aula tenet, Venus ante omnes, & pronuba Juno  
 Irarum iminemores, Lucinaque, Neptunusque,  
 Quo cultu Adriaca residet Regnator in urbe.  
 In gradibus densæ radianti corpore Nymphæ,  
 Ac nitido insignes vultu, & fulgentibus alis  
 Stant Genii, Veneris gnatus, quemque extulit alta